re; & tunc peccator deberet influere in peccati conſervationem. Vel eſt ſenſus: permitto, quod a me conſervetur; & tunc ipſe Deus eſt, qui peccatum vult, & conſervat; ergo quando peccator non influit in conſervationem peccati, quomodo non influit, quando eſt in gratia; implicat, quod Deus permiſſive concurrat ad ejus conſervationem, quin concurrat etiam poſitive.

§. II.

Solvuntur Rationes Contrariæ.

VI. PRimo objiciunt. Poteſt Deus duo contraria in gradu intenſo ſimul conſervare in eodem ſubjecto, ergo etiam, & peccatum.

VII. Reſpondeo, dato antecedente; cujus oppoſitum probabilius judico, nego conſeq. Cujus evidens datur diſparitas. Quia cum duo accidentia contraria Dei voluntate fiant; poteſt velle, utrumque conſervare, & facere, ne unum deſtruat aliud, ex ſpeciali affectu erga exiſtentiam illius. At cum peccatum Dei voluntate poſitiva non fiat; ideo non poteſt illud in præſentia gratiæ conſervare: ſi enim hoc faceret, indicaret ſpecialem affectum erga exiſtentiam peccati, ut dictum eſt.

VIII. Dices. Poteſt Deus habere hoc decretum efficax: volo, ut in inſtanti B. habeas gratiam, ſive habeas peccatum; ſive non; ergo ſi homo in eo inſtanti peccet, habebit gratiam, & ſimul peccatum, propria voluntate, non Dei.

Reſpondeo, nego ant. Tale enim decretum eſt impoſſibile, ſicut iſtud: volo, ut ſimul ſis ſanctus, & peccator: filius Dei, & damnationis: dignus vita æterna, & morte æterna.

IX. Secundo objiciunt. Poteſt Deus, hominem exiſtentem in peccato acceptare ad gloriam. —— Si reſpondeatur, diſt. ant. Ad gloriam dividendam a peccato, conc. ant. Ad gloriam conjungendam cum peccato, nego ant.

X. Inſtabis. Acceptatio ad gloriam fit per gratiam; ergo ſi poteſt homo conjungere cum peccato acceptationem ad gloriam, poterit conjungere gratiam cum peccato.

XI. Reſpondeo; diſt. ant. Acceptatio intrinſeca ad gloriam faciens hominem filium Dei adoptivum, & dans illi jus intrinſecum ad hæreditatem gloriæ, fit per gratiam, conc. ant. Sed hujuſmodi acceptatio nequit conjungi cum peccato. Acceptatio extrinſeca, nempe, Dei voluntas ordinans extrinſece hominem ad gloriam, tempore ſtatuto habendam, fit per gratiam, nego ant. Talis autem acceptatio ad gloriam hominis exiſtentis in peccato, ſicut non dicit gloriam de præſenti, ſed de futuro; ita nec dicit gratiam pro inſtanti, quo acceptatur, ſeu extrinſece ordinatur ad gloriam, ſed pro futuro, quo gloriam acquiret.

XII. Tertio objiciunt. Primarius effectus gratiæ non eſt excludere peccatum; ergo illud eſſentialiter non excludit. Ant. probatur. Primarius effectus gratiæ ſolum eſt, quod ſit radix donorum ſupernaturalium; & quod ex quadam decentia habeat ſibi annexam remiſſionem peccatorum.

Secundo. Ad non eſſe peccati, ultra effectum primarium gratiæ requiritur actio Dei remiſſiva peccati; ſed hanc, poſita gratia, poteſt Deus libere ſuſpendere; quod enim eſt finitæ bonitatis, non poteſt obligare Deum, ut deſtruat id, quod eſt gravitatis, & offenſæ infinitæ.

XIII. Reſpondæo ad primum, nego ant. Ad ejus prob. nego iterum ant. Effectus enim primarius gratiæ eſt, quod faciat nos participes divinæ naturæ, Deo gratos, dignos vita æterna, & objectum congruum divinæ dilectionis: cum quo ſtare nequit effectus formalis peccati, ut vidimus.

Ex quo ſequitur, quod non præciſe ex quadam decentia, ſed ex eſſentiali incompoſſibilitate inferat non eſſe peccati. —— Quod ſi dicas. Sicut gratia infert in homine non eſſe peccati; ita in eodem infert eſſe donorum ſupernaturalium: ſed non implicat, eſſe gratiam, & non eſſe actu dona ſupernaturalia; ergo etiam non implicat, quod ſit gratia, & actu ſit peccatum. —— Reſpondetur enim, nego major. Nam dona ſupernaturalia inferuntur a gratia in genere cauſæ efficientis, cui poteſt a Deo ſuſpendi effectus; non eſſe autem peccati eſt a gratia in genere cauſæ formalis, cui communicatæ ſubjecto capaci non poteſt ſuſpendi effectus.

Præterea: ex quo, ſtante gratia, impedirentur dona ſupernaturalia, non ſequeretur aliquid Deo repugnans: ex quo autem, poſita gratia, adhuc conſervaretur peccatum, ſequeretur, peccatum ſpecialiter conſervari a Deo, quod repugnare oſtendimus.

XIV. Ad ſecundum, nego maj. Ipſa enim actio, qua Deus communicat gratiam peccatori, eſt formalis deletio peccati, & deſtructio offenſæ. Eſto autem bonitas finita nequeat obligare Deum ad remittendam offenſam infinitam, per modum moralis ſatisfactionis; Deus tamen ſibi ipſi obligatur, dum ponit formam cum peccato eſſentialiter incompoſſibilem, ut oſtenſum eſt. Et hæc inſtantia nullum habet robur in ſententia Patrum Societatis. Nam noſtra libertas non minus eſt bonitas infinita, immo magis, quam gratia: & tamen, ſuppoſita noſtra libertate, Deus ſine decreto ſuo decernente unum præ alio neceſſitatur ad concurrendum ad hunc actum præ alio, etiamſi ſit peccatum, quin amittat dominium; ergo etſi ſit Dominus, ſuppoſito tamen, quod gratiam exigentem remiſſionem peccati dare voluerit, abſque læſione ſui dominii tenebitur peccatum dimittere.

XV. Quarto objiciunt. Omne principium, concurrens ad aliquam actionem liberam, debet eſſe compoſſibile cum quolibet extremo, vel contradictionis, vel contrarietatis; principium enim enim liberum debet eſſe indifferens ad unum, & oppoſitum ejus: ſed gratia eſt principium noſtrorum actuum liberorum in ordine ſupernaturali; ergo debet eſſe compatibilis cum obſervantia præcepti, vel omiſſione illius: hæc autem eſt peccatum, ergo &c.

XV. Reſpondeo, hanc inſtantiam probare nimis, ſcilicet, quod etiam de lege ordinaria gratia ſtare poſſit cum peccato. Dico ergo, majorem eſſe veram de principio concurrente concurſu potentiæ; non autem de principio concurrente per modum determinativi potentiæ. Primum verum eſt: quia intra objectum potentiæ comprehenduntur tam agere, quam non agere, tam agere bonum, quam malum. Secundum vero falſum eſt: quia principium determinativum potentiæ, etſi liberæ, ad bonum, non debet eſſe compatibile cum utroque extremo; quia poteſt eſſe, quod unum extremum ſit deſtructivum illius. Sic autem ſe habet gratia; quæ cum non ſit vere potentia, ſed potius habitus, & determinatio potentiæ ad bonum ſupernaturale, eſt incompoſſibilis cum malo moraliter. Et pono exemplum in diaphano, & luce: eſto enim diaphanum, quod eſt potentia, ſit conjungibile cum illuminatione, & non illuminatione; lux tamen, quæ eſt determinatio diaphani ad illuminandum, talem indifferentiam habere non poteſt.

Salvatur tamen adhuc libertas: quia habens gratiam poteſt abſolute non implere præceptum, & peccare; eſto non poſſit conjungere peccatum cum gratia. Quia, ut ſcribit S. Joann. Epiſt. 1. c. 3. v. 9. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.*

XVII. Quinto objiciunt. In inſtanti, quo homo juſtus peccat, habet potentiam ad merendum de condigno, per obſervantiam præcepti ſupernaturalis: ſed potentia ad merendum non datur ſine gratia; ergo &c.

Reſp. nego maj. Ex illo enim inſtanti, quo homo juſtus peccat, & peccatum primo exiſtit; incipit primum non eſſe gratiæ, & primum non eſſe potentiæ proximæ ad merendum. Nec tamen immunis eſt a peccato: quia eſto talem potentiam non habeat; eam tamen haberet, niſi ſua culpa ſe privaſſet peccando.

XVIII. Sed dices. Peccatum in inſtanti, in quo primo exiſtit, expellit gratiam: non gratiam, quæ non eſt, hæc enim non expellitur; ergo gratiam, quæ in eodem inſtanti eſt; ergo cum peccato exiſtit.

XIX. Reſpondet ſimili inſtantiæ S. Thom. *Quæſt. 28. de Verit. art. 2. ad 9.* Cum enim opponeretur: *Si gratia removet culpam, aut gratia, quæ eſt, aut gratia, quæ non eſt: non autem gratia, quæ non eſt, quia quod non eſt, facit aliquid.* Reſpondet: *Dicendum, quod gratia, quæ eſt, & ineſt, culpam expellit, non eam, quæ eſt, ſed quæ non eſt, prius autem erat. Non enim expellit culpam per modum cauſæ efficientis: ſic enim oporteret, quod ageret in culpam exiſtentem ad ipſius expulſionem: ſicut ignis agit in aerem exiſtentem ad ejus corruptionem: ſed expellit culpam formaliter. Ex hoc enim ipſo, quod informat ſubjectum, ſequitur, quod culpa in ſubjecto non ſit: ſicut patet de ſanitate, & infirmitate.* Hæc D. Thom. de expulſione peccati per gratiam. Idem dicendum de expulſione gratiæ per peccatum: Cum enim hoc expellat gratiam in genere cauſæ quaſi formalis, vel ſicut privatio expellit formam; expellit gratiam, non quæ eſt, ſed quæ prius erat, & ex vi peccati primo non eſt. Sicut infirmitas expellit ſanitatem; non ſanitatem, quæ eſt, ſed quæ prius erat, & per infirmitatem primo non eſt. Sed hoc argumentum probaret, peccatum naturaliter exiſtere cum gratia.

QUÆSTIO II.

De Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

EXplicatis omnibus, quæ ad perfectam intelligentiam juſtificationis, & gratiæ juſtificantis neceſſaria ſunt; in examen vocamus diſpoſitiones, queis homo præparare ſe debet ad juſtificationem: nimirum, an ſint, & quænam ſint: quod præſenti quæſtione peragemus.

DUBIUM I.

An Homo Adultus per Motum Liberi Arbitrii ſe diſponere debeat ad Gratiam juſtificantem?

§. I.

Explicatur Dubium.

I. PRocedit primo dubium de homine adulto, & inſuper rationis, & libertatis compote. Nam infantes, dum baptizantur, accipiunt gratiam juſtificantem abſque ullo motu liberi arbitrii eorum; & idem dico de amentibus, qui nunquam rationis compotes fuere. Ita S. Thom. hac 1. 2. q. 113. *art. 3. ad* 1. dicens: *Pueri non ſunt capaces motus liberi arbitrii: & ideo moventur a Deo ad juſtitiam, per ſolam informationem animæ ipſorum. Hoc autem non fit ſine Sacramento: quia ſicut peccatum originale, a quo juſtificantur, non propria voluntate ad eos pervenit, ſed per carnalem originem: ita etiam per ſpiritualem regenerationem a Chriſto in eos gratia derivatur. Et eadem ratio eſt de furioſis, & amentibus, qui nunquam uſum liberi arbitrii habuerunt. Sed ſi quis aliquando habuit uſum liberi arbitrii, & poſtmodum eo careat, vel per infirmitatem, vel per ſomnum; non conſequitur gratiam juſtificantem per Baptiſmum exterius adhibitum, aut per aliquod aliud Sacramentum, niſi prius habuerit Sacramentum in propoſito: quod ſine uſu liberi arbitrii non contingit. Et hoc modo ille,* de quo loquitur

Augu-

Auguſtinus (l. 4. Conf. c. 4.) *renatus fuit; quia & prius, & poſtea Baptiſmum acceptavit.* Ait enim S. Aug. cum quidam ſuus amicus laboraret febribus: *Jacuit diu ſine ſenſu in ſudore lethali: & cum deſperaretur, baptizatus eſt neſciens, & renatus eſt:* quia ſcilicet Baptiſmum prius optaverat, & poſtea acceptavit.

II. Procedit ſecundo de motibus liberi arbitrii moti a gratia certum enim eſt, ex ſæpe dictis contra Pelagium, hominem per ſolas naturæ vires non poſſe præparare ſe, aut diſponere ad gratiam, ſive actualem, ſive habitualem, & juſtificantem: id enim pluribus Scripturæ textibus alibi probavimus: & maxime ex illo Chriſti Joann. 6. v. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum.* Quod *v.* 66. clarius exprimens: *Nemo* (inquit) *poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo.* Quod autem venire ad Chriſtum, ſit credere in Chriſtum, probat S. Aug. *l. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. c.* 3. Propterea in Synodo Dioſpolitana coactus fuit Pelagius fateri, gratiam non ſecundum merita noſtra dari, ideſt, ſecundum opera ſolis naturæ viribus facta. Unde Trid. Seſſ. 6. Can. 3. *Si quis* (inquit) *dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Quod anathema in Pelagianos prius intorſerat Aug. citato *lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. c.* 24. his verbis: *Sed & Pelagianis non immerito anathema dicimus, qui tam ſunt inimici gratiæ Dei ... tantumque conſtituunt in libero arbitrio, quo in profundum demerſus eſt homo; ut, eo bene utendo, dicant, hominem mereri gratiam: cum nemo bene illo uti poſſit, niſi per gratiam, quæ non ſecundum debitum redditur, ſed Deo gratis miſerente donatur.* De motibus ergo liberi arbitrii gratia Dei præveniente excitatis, quærimus: an requirantur tamquam diſpoſitiones præparantes hominem ad juſtificationis gratiam conſequendam.

Lutherus, Calvinus, aliique ex eorum grege volunt, opera juſtificationem præcedentia, quia facta ab homine adhuc ſervo peccati, avertere potius, quam diſponere ad juſtificationem: & propterea hominem, dum juſtificatur, nihil agere, ſed mere paſſive velut inanime quoddam inſtrumentum ſe habere.

§. II.

Veritas Catholica.

III. DIco. Homo adultus per motus liberi arbitrii divino auxilio moti, & excitati debet ſe diſponere ad gratiam juſtificationis acquirendam. Eſt dogma fidei ſtatutum a Trid. *Seſſ. 6. Can.* 4. his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit: ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.* Item Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur, ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema ſit:* Et tandem Can. 9. *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari; ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nulla ex parte neceſſe eſſe, cum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit.* Quibus totum hæreticorum errorem concludit, & damnat.

IV. Probatur autem primo ex Script. Joel. 2. v. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me ... & convertar ad vos, dicit Dominus.* Converſio autem iſta abſque motu liberi arbitrii fieri nequit: ut autem ſciatur, hunc motum eſſe a Dei præveniente gratia; dicitur Threnorum 5. v. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Quæ ſimul conjungens Tridentinum, *Seſſ. 6. c.* 5. ubi de neceſſitate præparationis ad gratiam juſtificaiionis agit: *Unde* (inquit) *in ſacris Litteris cum dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, *libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus:* Converte nos Domine ad te, & convertemur, *Dei nos gratia præveniri, confitemur.*

V. Hoc docuerat Auguſtinus paſſim, maxime *Serm. 23. de Verb. Apoſtol.* modo *Serm. 156. cap.* 11. ubi exponens illa verba: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei,* ſic ait: *Dicit mihi aliquis; ergo agimur, & non agimus. Immo & agis, & ageris: & tunc bene agis, ſi a bono ageris: ſpiritus enim Dei, qui te agit, agenti adjutor eſt tibi. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Agnoſce, quid poſcas, agnoſce, quid confitearis, quando dicis:* Adjutor meus eſto, ne derelinquas me. *Adjutorem utique invocas Deum: nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.* Et rurſus exponens illud Apoſtoli: *Scimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* ait: *Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator.* Hinc celebris ejus ſententia, Serm. 15. de Verb. Apoſt. nunc Serm. 169. c. 11. *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te; ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem.* Quibus inſaniam Lutheri præoccupat volentis, liberum arbitrium ad juſtificationem nihil omnino agere.

VI. Adeſt quoque ratio Theologica, quam nobis exhibet S. Th. hac *q.* 113. *art.* 3. Sic. Juſtificatio impii fit Deo movente hominem ad juſtitiam; ipſe enim eſt, qui juſtificat impium, ut dicitur *Roman.* 3. ſed Deus movet omnia ſecundum modum uniuſcujuſque: ſicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipſo gravia, & aliter levia, propter diverſam naturam utriuſque: & homo ſecundum propriam naturam habet, quod ſit liberi arbitrii; ergo (concludit S. D.) *In eo, qui habet uſum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad juſtitiam, abſque motu liberi arbitrii: ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis, quod etiam ſimul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui ſunt hujus motionis capaces.* Quod expreſſit etiam Tridentinum, *Seſſ. 6. c.* 7. dum ait, hominem juſtificari per *voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum &c.* Quibus inſinuatur, motum liberi arbitrii ad juſtificationem requiſitum, generaliter eſſe partim actuale deſiderium ſalutis, ac mediorum ad eam conducentium, partim conſenſum in fidem, & gratiam; ſeu actum, quo vult a peccato recedere, & accedere ad juſtitiam. Quinam vero actus in particulari requirantur, dicetur infra.

§. III.

Contraria Fundamenta.

VII. OPponunt primo Sectarii. Homines dicuntur juſtificari gratis; ergo non per opera: ſi enim gratis, non ex operibus. Ant. eſt Pauli, Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*

VIII. Reſpondeo, diſt. ant. Gratis, ideſt, non per opera legis ſine fide, & quæ gratiam promereantur, conc. ant., per motus a fide procedentes, & qui pure diſponant, nego ant. Reſponſio eſt Trident. Seſs. 6. c. 8. *Gratis autem ideo juſtificari dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.*

IX. Dicunt. Non poteſt homo ad gratiam juſtificantem ſe diſponere per id, quod peccaminoſum eſt: ſed omnes actus peccatoris præcedentes juſtificationem ſunt peccaminoſi: non enim poteſt arbor mala bonos fructus facere; ergo per proprios actus non poteſt homo ad gratiam ſe diſponere.

X. Reſpondeo, nego min. Jam enim ſuperioribus oſtenſum eſt, non omnes actus hominis exiſtentis in ſtatu peccati, eſſe peccata; ſed ſolum eos, qui ex affectu ad peccatum procedunt: Cæterum peccatorem non ſemper agere ex affectu ad peccatum; ſed aliquando ex amore virtutis, & opera moraliter bona facere poſſe. Quod ſi Spiritu Sancto nondum quidem inhabitante, ſed movente cor ejus, incipiat de ſua ſalute cogitare, & quærere media ad juſtificationem conſequendam: eſto nondum a ſtatu peccati ereptus, tam per tales actus viam ſibi ad juſtificationem a Deo obtinendam parat. Et hæc eſt doctrina Tridentini, *Seſſ. c.* 4.

XI. Opponunt ſecundo. Actus noſtri præcedentes juſtificationem, etſi ex motione Spiritus Sancti fiant, nullam ex natura ſua cum gratia juſtificationis connexionem habent: quia adhuc iis poſitis juſtificamur gratis; ergo non diſponunt, quia diſpoſitiones connecti debent cum forma: neque connexionem habent ex lege Dei; quia nulla lex eſt, quod facienti, quod in ſe eſt, Deus det gratiam; ergo &c.

XII. Confirmatur. Si noſtris actibus ponimus diſpoſitiones ad noſtram juſtificationem; dici poterit, hominem propriis actibus juſtificare ſeipſum: ſicut qui ponit diſpoſitionem ultimam ad eſſe alterius hominis, etſi animam non producat, dicitur generare illum: ſed hoc videtur maximum abſurdum, ergo &c.

XIII Reſpondeo, quod actus noſtri præcedentes juſtificationem, & ex motione Spiritus Sancti procedentes, non habent quidem connexionem cum gratia juſtificationis per modum meriti, maxime de condigno, ſeu per modum diſpoſitionis phyſicæ; habent tamen connexionem moralem fundatam in Dei promiſſo: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Et ſic eſto facienti quod in ſe eſt ſolis naturæ viribus, non ſit promiſſa juſtitia; promiſſa tamen eſt ſe præparanti ad eam viribus & adjutorio gratiæ.

XIV. Ad Confirm. Aliqui concedunt, in aliquo ſenſu dici poſſe, hominem per actus, quibus Spiritu Sancto movente ponit ultimam diſpoſitionem ad gratiam, juſtificare ſeipſum; non quidem formaliter, ſed diſpoſitive: fundati in illo 1. Joann. 3. v. 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.*

Tutius tamen negandum eſſe cenſeo: quia fieret ſenſus quod juſtificatio impii eſſet aliquomodo opus hominis, qui juſtificatur, contra illud Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium.* Neque ex eo ſolum unus homo dicitur generare alium, quia præciſe ponit ultimam diſpoſitionem ad formam, qua formaliter fit homo: ſed quia propria virtute, & forma æqualis perfectionis ponit ultimam diſpoſitionem, eamque naturaliter, & phyſice connexam cum anima rationali. At homo ultimam diſpoſitionem ponit ad gratiam, non propria forma, & virtute, ſed virtute gratiæ Dei moventis: neque forma æquali cum gratia habituali, quia gratia movens comparatur ad habitualem, ſicut motus ad terminum. Neque diſpoſitio, quam producit, habet connexionem phyſicam cum gratia juſtificationis, ſed moralem: cum collatio gratiæ ſit novum beneficium diſtinctum a beneficio præparationis ad gratiam.

XV. Quæres: An de potentia ſua abſoluta poſſit Deus, hominem adultum, & rationis capacem, abſque motu liberi arbitrii, & propria diſpoſitione juſtificare?

Probabiliorem cenſeo partem affirmativam. Concurſus enim liberi arbitrii ad juſtificationem neceſſarius eſt ſolum ex divina lege, & inſtitutione, attenta ſuavi Providentia Dei volentis operari juxta naturam rerum; ergo ſi vellet ſuam abſolutam potentiam attendere; ſicut in naturalibus poteſt quamcumque formam introducere in materia, abſque ullis præviis diſpoſitionibus: ita poſſet gratiam infundere in anima adulti, nullis ex parte hominis ſuppoſitis diſpoſitionibus, vel motibus liberi arbitrii: eo modo, quo eam infundit pueris rationis uſu carentibus: eo modo, quo Salomoni dormienti infudit Sapientiam,

& aliis

& aliis quidquam aliud cogitantibus dona ſua infudit: ejus enim Spiritus partiri poteſt gratiam ſuam ſingulis, prout vult.

DUBIUM II.

An ad Juſtificationem requiratur Motus Fidei, & quænam debeat eſſe hæc Fides.

§. I.

Reſolutio Prioris Partis: Fidem requiri.

I. CONvenit inter Catholicos, & hæreticos noſtri temporis, motum fidei requiri ad juſtificationem. Id enim aperte teſtatur Scriptura paſſim. Joann. 1. v. 12. *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.* Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Hebr. 11. v. 6. *Sine fide autem impoſſibile eſt, placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hinc Concil. Trid. *Seſſ. 6. c. 6.* ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti; fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes, vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus &c.*

II. Probatur vero ratione D. Th. hac *q.* 113. *a.* 4. Ad juſtificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo mens hominis avertatur a peccato, & convertatur ad Deum: ſed primus acceſſus ad Deum fit per fidem, juxta illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia &c.* ergo ad juſtificationem adulti requiritur actus fidei.

III. Et Confirmatur. Cum enim voluntas indigeat luce, & directione intellectus oſtendentis ei, & proponentis objectum; impoſſibile eſt, eam converti in Deum auctorem ſupernaturalem, quin præcedat actus intellectus ei illum proponens: ſed hic actus in præſenti via eſt actus fidei, ut patet; ergo actus fidei ad juſtificationem adulti requiritur.

IV. His confutatus manet error Manichæorum, qui teſte Auguſtino *l. de Utilitate credendi* omnem fidei neceſſitatem abſtulerunt: exiſtimantes, nihil omnino eſſe credendum, ſed dumtaxat aſſentiendum his, quæ ratione naturali evidenter perſuaderi poſſunt. Unde idem Aug. l. 1. Retract. c. 14. *Scripſi* (inquit) *librum de utilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum a Manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, & irridere in Catholica fidei diſciplina, quod juberentur homines credere; non autem quid eſſet verum, certiſſima ratione docerentur.*

§. II.

Errores Hæreticorum circa Fidem ad Juſtificationem neceſſariam.

V. ALtera hæreſis extreme oppoſita eſt, ſolum motum fidei ſufficere ad juſtificationem adulti. Hæreſis hæc exorta fuit temporibus Apoſtolorum, Simone Mago auctore, quem ſecuti alii fuerunt, ut refert S. Aug. *l. de Fide, & operibus*, contra quos ſuas Epiſtolas canonicas Petrus, & Jacobus ſcripſerunt. Hanc Lutherus, Calvinus, eorumque ſequaces excitarunt. Dixerunt enim, ad remiſſionem peccatorum ſolam fidem ſufficere, qua quis certo credat, unicuique remitti peccata per Chriſtum: hac fide peccatorem, quaſi manu, apprehendere juſtitiam Chriſti, & facere ſuam per imputationem: ita ut eo ipſo, quo aliquis credat, ſibi remitti, aut remiſſa eſſe peccata, ei remittuntur, & hac ſola fide juſtificatur. Contra hunc errorem militabimus ſequenti Dubio.

VI. In aſſignando autem, quænam ſit iſta fides, quæ juſtificat, diſſident Lutherus, & Calvinus; Lutherus enim vult, fidem illam, qua juſtificamur, non eſſe aliud, quam firmam fiduciam, qua peccator confidit, ob merita Chriſti, ſibi peccata non imputari: unde eam ponit in voluntate, & per illam ita ſolam juſtificari, ut opera bona penitus excludat. Calvinus vero fidem juſtificantem vult eſſe fidem, qua quis certo credit, non quodcumque a Deo revelatum in generali; ſed hoc, nimirum, ſibi a Deo per Chriſtum remitti, ſeu remiſſa eſſe peccata: hac enim quaſi manu apprehendit juſtitiam Chriſti, eam facit ſuam, & hac veſtitus, apparet juſtus coram Deo.

Diſtinguit enim *l. 3. Inſtit. c. 2.* triplicem fidem: unam hiſtoricam, qua credimus vera eſſe ea, quæ in Sacris Scripturis continentur; quia tradita, & propoſita a Deo, qui verax eſt. Secunda, quam vocat fidem miraculorum, quam dicit, eſſe edendorum miraculorum facultatem: ſed verius eſt ipſa fides hiſtorica, qua credit, nihil eſſe, quod a Deo fieri non poſſit. Et de hac loquuntur Chriſtus *Marci* 11. *v.* 22. & 23. dum ait: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: tollere, & mittere in mare; & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.* Et Paulus illis verbis 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* Tertia, quam vocat fidem promiſſionis, eſt, qua credimus, veras eſſe Dei promiſſiones de gratuita remiſſione peccatorum, per Chriſti merita; cujus fit mentio Marci ultimo v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Addit autem: ad juſtificationem neceſſariam non eſſe ſolum fidem hiſtoricam, aut fidem miraculorum, ſed dumtaxat fidem promiſſionum; & hanc non ſolum generalem, qua credimus, promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem omnibus, qui in Chriſtum credunt: ſed particularem, & ſpecialem, qua unuſquiſque ſibi divinam promiſſionem applicans credit, ſeu verius confidit, ſibi omnia ſua peccata dimiſſa eſſe per Chriſtum.

Hinc Calvinus citato loco §. 7. fidem juſtificantem ita definit: *Divinæ ergo nos benevolentiæ firmam, certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Chriſto promiſſionis veritate fundata per Spiritum Sanctum, & revelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.* Quibus verbis, etiamſi velit, fidem eſſe firmam, certamque cognitionem; quia tamen vult, objectum ejus cognitionis eſſe divinam benevolentiam, videtur, per fidem juſtificantem non aliud intelligere, quam fiduciam in divinis promiſſionibus; quæ utique fiducia non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: & ſic aliis terminis cum Luthero convenire.

VII. Quia vero in præſenti difficultate duos poſſumus diſtinguere actus in intellectu: nempe, notitiam veritatis certam, & exploratam: & inſuper aſſenſum datum veritati propoſitæ; qui duo actus valde inter ſe diſtinguuntur. Nam primus dicit in intellectu cognitionem, penetrationem, & intelligentiam veritatis enunciatæ: ſecundus vero dicit aſſenſum datum propoſitioni, ob auctoritatem dicentis, quo plerumque abſque ulla diſquiſitione, aſſenſum præſtamus rei alias ignoratæ. Calvinus citato loco invehit in doctores Catholicos, quaſi ipſi ſolum aſſenſum fidei, ſeu ſubmiſſionem revelatis exigant; quamvis palpabili ignorantia credendorum Fideles laborent. Fallitur, vel fallere vult malignus impoſtor. Nemo enim Catholicorum eſt, qui non ſentiat, teneri quemlibet adultum, explicitam notitiam habere principalium Myſteriorum fidei: ad quem finem Catechiſmi etiam pro idiotis ſunt inſtituti. Dicimus tamen, non teneri omnes tantam, & exploratam ſingulorum habere cognitionem, quantam habet Theologus: & tandem, quod non in apprehenſione, & cognitione conſiſtat fides juſtificans, ſed in aſſenſu revelatis, ob auctoritatem dicentis.

VIII. Tandem: cum fides tribus modis ad juſtificationem comparari poſſit. Primo, tamquam diſpoſitio prævia, qua homo divina gratia illuſtratus ad juſtificationem ſe præparat. Secundo, tamquam aliquid conſequens juſtificationem, augendo, vel conſervando juſtitiam. Tertio, tamquam cauſa formalis, ac ſi per fidem apprehendens juſtitiam homo formaliter juſtificetur: hoc tertio modo fidem accipiunt hæretici. Dicunt enim, fidem ad noſtram juſtificationem requiri tamquam inſtrumentum juſtitiæ percipiendæ; non quod annexas non habeat alias virtutes, ſed quod illa ſola ſit, quæ juſtificet: *Sicut* (inquit Calvinus in Antidoto) *calor Solis ſolus eſt, qui terram calefacit, nec tamen ſolus ipſe ineſt Soli, ſed cum ſplendore; ita fidem oportet non eſſe ſolam, ſed habere comites; licet illæ non juſtificent, ſed ipſa ſola.* Hæc eſt Acatholicorum de juſtificatione doctrina. Contra quam

§. III.

Fides non eſt Fiducia.

IX. DIco primo. Fides ad juſtificationem conducens non eſt fiducia. Probo. Quia fides, quæ ad juſtificationem conducit, eſt actus intellectus; ſed fiducia non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: ut enim docet D. Th. 2. 2. *qu.* 129. *a.* 6. fiducia pertinet ad ſpem, quæ eſt in voluntate, & naſcitur ex fide: *Et ideo nomen fiduciæ hoc principaliter ſignificare videtur, quod aliquis ſpem concipiat ex hoc, quod credit verbis alicujus auxilium promittentis.*

Maj. probat. Tum ex Scriptura, quæ fidem ad juſtitiam, & ſalutem conducentem, explicat verbis pertinentibus ad intellectum: Joann. 6. v. 7. *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.* Nemo autem melius fidem juſtificantem explicavit, quam Paulus ad Hebræos. Cum enim *c.* 10. dixiſſet: *Juſtus autem meus ex fide vivit*; exorditur *c.* 11. quid ſit iſta fides, dicens: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium:* ſubſtantia, ideſt, fundamentum ſperandarum rerum; fiducia autem non eſt fundamentum ſpei, ſed ipſa ſpes fundata in fide, ut dicebamus cum D. Th. Rurſus: dicit, eſſe argumentum non apparentium, ideſt, actum, quo cognoſcimus non apparentia: unde ſubdit, v. 3. *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei.* Tandem ibi *v.* 6. dicit: *Sine fide impoſſibile eſt, placere Deo.* Quænam vero ſit fides iſta, explicat: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quibus eum loqui de fide, quæ eſt actus intellectus, nemo non videt.

Item Rom. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: ubi loquitur de fide, qua juſtificatus eſt Abraham. Sed fides illa fuit actus intellectus: priuſquam Abraham haberet fiduciam, aut ſpem, quod Deus adimpleturus eſſet promiſſiones, præbuit intellectu aſſenſum, quo credebat Deo promittenti: nec enim aliter poterat actu voluntatis confidere, niſi prius actu intellectus Deo promittenti aſſentiretur.

X. Probatur etiam hoc diſcurſu. Fides, quæ juſtificat, eſt illa eadem, quam Chriſtus juſſit prædicandam, & quam Apoſtoli prædicaverunt; & quam Chriſtus, & Apoſtoli exigebant ad Baptiſmum, & ad ſalutem: ſed hæc erat fides intellectus: Chriſtus enim ſua prædicatione intendebat perſuadere homines, ut aſſenſum præberent his, quæ ipſe dicebat; & ad hoc Scripturas eis exhibebat, & miracula patrabat: perſuadere autem intellectum reſpicit, non voluntatem, aſſenſum exigit, non fiduciam. Hinc *Joann.* 8. *v.* 40. dicebat Phariſæis: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritas autem dicitur intellectui, cujus eſt objectum, non voluntati. Inſuper Joann. 10. v. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me:* teſtimonium autem adhibetur ad perſuadendum intellectum. Rurſus: Apoſtolis, Matth. 26. v. 15. *Euntes* (inquit) *in Mundum univerſum prædicate Evangelium*

omni creaturæ; qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: prædicatio autem ad intellectum dirigitur.

XI. Merito igitur Tridentinum, *Seſſ. 6. Can.* 12. ait: *Si quis dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis, propter Chriſtum; vel eam fiduciam ſolum eſſe, qua juſtificamur: anathema ſit.* Quibus Concilium a diſpoſitionibus requiſitis ad juſtificationem non rejicit fiduciam; eam enim inter diſpoſitiones recenſet, eadem *Seſſ. c. 6.* & *Seſſ.* 14. *cap.* 4. ſed vult, eam fiduciam ſolam non eſſe fidem juſtificantem, ſed aliquid ex fide ſecutum.

XII. Afferunt hæretici varios Scripturæ textus, quibus juſtificatio, & remiſſio peccatorum videtur tribui fiduciæ in Chriſtum; & hanc eſſe fidem, qua juſtificamur: & illud ad Hebr. 10. v. 19. *Habentes itaque fiduciam . . . in ſanguine Chriſti . . . . Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* Illud ad Epheſ. 3. v. 12. *In quo* (Chriſto) *habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* Item illud *Matth. 9. v.* 2. ubi Chriſtus dixit paralitico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: & Hemoroiſſæ v. 22. *Confide, filia, fides tua te ſalvam fecit.*

XIII. Verum hæc, & ſimilia non evincunt, fidem juſtificantem eſſe formaliter fiduciam, ſed ſolum, quod ex fide, qua certo credimus, generetur in nobis fiducia a Deo obtinendi quod petimus. Ut enim ſupra ex D. Th. dicebamus, aliquis ſpem, & fiduciam concipit, *ex hoc, quod credit verbis alicujus auxilium promittentis.*

His addo: quod, ut *Tractatu præcedente Q. 3. Dub.* 9. oſtenſum eſt, fides illa ſpecialis, ſeu fiducia divinarum promiſſionum, ut aſſeritur a Sectariis, conficta eſt: nullibi enim revelavit Deus particularibus hominibus, quod eorum peccata ſint remiſſa, proferent quidem teſtimonia Scripturæ, quibus continentur promiſſiones generales, factæ omnibus ad Deum recte converſis; aut ſpeciales, quæ factæ fuerunt Magdalenæ pœnitenti, *Lucæ 7. v.* 48. & ut ſupra, Paralytico, & Hemoroiſſæ, *Matt.* 9. Verum parem gratiam cuilibet peccatori, nimirum, quod ſit rite converſus, & quod ei ſint remiſſa peccata, ubi revelatum eſt? Nunquid conſequens eſt, quod ſi ſpeciali privilegio hoc Magdalenæ, & Paralytico &c. revelavit; parem gratiam cuique Lutherano, & Calviniſtæ conceſſam revelaverit? Fides ergo illa, ſeu fiducia a Lutheranis, & Calviniſtis conficta eſt: quia ſine ullo fundamento in Scriptura, in qua ſola, ſecundum ipſos, contineri debet, quod revelatum eſt.

§. IV.

An Fides juſtificans ſit Notitia, an Aſſenſus?

XIV. DIco, Actus fidei prærequiſitus ad juſtificationem non eſt notitia, ſive perfecta, ſive imperfecta rerum propoſitarum per fidem: ſed eſt aſſenſus quem præbet intellectus rebus propoſitis, & revelatis. Probo primo ex illo *Rom.* 4. *v.* 18. ubi de Abraham dicitur: *Qui contra ſpem in ſpem credidit*: quibus indicatur: eum obſcure tantum noviſſe, quod credebat: quod, nempe, futurus eſſet pater multarum gentium, & ideo caruiſſe imperfecta notitia eorum quæ credebat.

Secundo. Paulus *Epiſt. 2. ad Cor.* 10. *v.* 5. hortatur Corinthios, ut ſint *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: ſi autem fides impetraret perfectam notitiam credendorum, non opus eſſet, redigere intellectum in captivitatem, ut quis credat rebus propoſitis. Vult ergo Paulus, ut credant Corinthii ea, quæ fides dictat, etſi ea non perfecte intelligant. Et ideo *Hebr.* 11. fidem vocat *argumentum non apparentium*. Quis enim unquam perfectam notitiam myſteriorum Trinitatis, Incarnationis &c. in hac via aſſecutus eſt?

XV. Quod vero fides, nec requirat cognitionem imperfectam: probatur ex dicto Chriſti, Joann. 20. v. 29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*: illi ſcilicet, qui non propter aliquas rationes, & argumenta, quibus aliqua veritas manifeſtatur, ſed ex obedientia prompta voluntatis firmum, & indubitatum præbent aſſenſum rebus a Deo revelatis. Unde S. Auguſt. Tract. 5. in Joann. *Quid eſt* (inquit fides) *niſi credere, quod non vides?* Et Epiſt. 102. modo 169. ad Evodium c. 1. *Si propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt iſta diſcernere, pene fruſtra in Eccleſia laboramus.* Pergitque oſtendens, quod *infirmi populi credentium* veniunt ad Chriſtum, & ubi multi in ſapientia magni irrident ſtultitiam prædicationis, qua ſalvi fiunt credentes; multi in Cruce Chriſti gloriantes, *etiamſi iſta, quæ ſubtiliſſime differuntur, ignorent* ad æternitatem perveniunt.

XVI. Probatur ergo hoc diſcurſu. Si fides eſſet myſteriorum intelligentia; jam quo major eſſet fides, eo major deberet eſſe intelligentia; hoc autem eſt falſum: cum Chriſtus plurimorum fidem celebret: qui nullam Evangelii cognitionem adepti fuerant: qualis fuit mulier Chananæa, cui Chriſtus dixit, Matth. 15. v. 28. *O mulier magna eſt fides tua*: qualis etiam Centurio, de quo ait, Matth. 8. v. 10. *Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Ubi e contra Phariſæorum, & legis Doctorum, qui intelligentia præditi erant, paſſim exprobrat incredulitatem.

XVII. Sequitur: actum proprium fidei eſſe rebus propoſitis aſſentiri. Ita enim docet Auguſt. *l. de Prædeſtin. Sanctorum c.* 2. ubi poſtquam dixit, neceſſe eſſe, *ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur*, ſubjungit: *Quamquam & ipſum credere nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cum ideo cogitent plerique, ne credant: ſed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit.*

XVIII. Objiciunt primo Sectarii. Fideles parati eſſe debent ad reddendam rationem eorum, quæ credunt, juxta illud 1. Petri 3. v. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, & fide.*

XIX. Reſpondeo primo, verbum illud *& fide*, addi ab Adverſariis, cum nec in Vulgata Verſione, nec in textu græco inveniatur. —— Secundo, velle ibi Petrum, Fideles paratos eſſe reddere rationem poſcenti, non de dogmatum doctrina, quam credunt; ſed patientia, qua tot mala tolerant propter Chriſtum: nimirum, qui ſperant, & (ſi velis) credunt, ſe cum Chriſto æternæ gloriæ hæredes efficiendos. —— Vel tertio, Petrum ibi non ad omnes Fideles loqui; ſed ad Paſtores, & Doctores, quibus incumbit, ut ait Paulus de Epiſcopis, ad Titum 1. v. 9. *Exhortari in Doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

XX. Objiciunt ſecundo. Quilibet Chriſtianus, ut ſalvetur, tenetur corde, & ore confiteri, Dominum Jeſum Chriſtum ſurrexiſſe a mortuis, ut ait Paulus, *Roman.* 10. *v.* 9. & Chriſtus *Joann.* 17. *v.* 3. dicens: *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

XXI. Reſpondeo, hæc, & ſimilia, ſolum evincere, Chriſtianos omnes debere cognoſcere corde, & ore exterius confiteri, cum oportet, Chriſtianam fidem veram; & habere notitiam præcipuorum myſteriorum, maxime unitatis, & Trinitatis Dei, Incarnationis &c. non tamen quod omnes, ut credant, penetrare debeant talia myſteria, quod ſolis doctoribus reſervatur. Nec enim intelligere, aut cognoſcere ſupponit ſemper pro penetratione rei, maxime, quæ non videtur; ſed pro aſſenſu veritati propoſitæ: ſive hunc obtineat vis rationis, ſive proponentis auctoritas, quæ præcipuum locum tenet in fide.

§. V.

Quodnam ſit Fidei Juſtificantis Objectum.

XXII. DIco. Objectum Fidei juſtificantis, ſeu ad juſtificationem requiſitæ, non eſt ſola divina benevolentia, ſeu miſericordia, ſive hoc, quod ſibi remiſſa ſint peccata; ſed quidquid a Deo revelatum eſt. Hæc aſſertio eſt contra Calvinum. Probatur autem primo. Nam fides, quam Chriſtus exigebat, & in cujus confirmationem miracula patrabat, erat certe fides viam parans ad juſtificationem: venerat enim peccatores ſalvos facere, *Lucæ* 19. *verſ.* 10. 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 15. *Joann.* 3. *v.* 16. & *Joann.* 10. *v.* 10. ubi Chriſtus dicit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*: ſed fides, quam Chriſtus exigebat, quam laudabat, ad quam hortabatur, quamque ſignis comprobabat, erat fides non ſolius miſericordiæ: ſed modo omnipotentiæ Dei; unde *Matth.* 9. v. 28. duobus cæcis petentibus, ut lumen reciperent, ait: *Creditis, quia hoc poſſum facere vobis?* Et reſpondentibus illis: *Utique Domine*, ait: *Secundum fidem veſtram fiat vobis*: modo erat fides Incarnationis, & Trinitatis; qualis fuit fides Petri adeo laudata a Chriſto, Matth. 16. v. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*; qualis fuit fides diſcipulorum, *Joann.* 6. *v.* 70. per Petrum dicentium: *Et nos credimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus filius Dei*; qualis fuit fides Marthæ, *Joann.* 11. *v.* 27. quæ Chriſto dicenti: *Omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* Reſpondit: *Utique Domine ego credidi; quia tu es Chriſtus filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti.*

XXIII. Rurſus: fides poteſt eſſe juſtificans, quamvis non reſpiciat miſericordiam ſpecialem ſibi certo faciendam. Nam *Marci* 1. *v.* 40. Leproſus, etſi de miſericordia Dei ſpeciali ſibi facienda ambigeret: quia tamen habebat fidem divinæ omnipotentiæ, qualem Chriſtus exigebat, mundatus eſt. Quod autem dubitaret de miſericordia ſibi ſpeciali, conſtat, quia dicebat: *Domine ſi vis.* Quod vero certus eſſet de potentia, conſtat ex his: *Potes me mundare.* Unde Chriſtus ei reſpondit ſtatim: *Volo, mundare* —— Ab oppoſito datur fides miſericordiam Dei reſpiciens, quæ tamen non eſt juſtificans. Nam, *Lucæ*, Phariſæus confidebat, ſe eſſe juſtum, & habebat fidem ſpecialis benevolentiæ Dei, cui gratias agebat; & tamen juſtificatus non eſt: Publicanus autem, etſi tali fiducia careret, & cum timore ad Deum accederet, juſtificatus receſſit.

XXIV. Rationes autem in promptu ſunt. Prima. Non poteſt eſſe fides certa, & infallibilis, niſi verbo Dei nitatur: at in verbo Dei nunquam legitur annuntiata remiſſio peccatorum mihi, aut illi in particulari, exceptis quibuſdam paucis; ergo non poſſunt reliqui homines, niſi temere, credere, ſibi remiſſa peccata, alias etiam eſſent certi de ſua juſtificatione; quod ſupra loco citato reprobavimus.

XXV. Scio, hæreticos reſpondere, ſpecialem promiſſionem contineri in illa generali ſententia, *Joann.* 3. *v.* 15. 16. & 36. ubi dicitur: *Qui credit in Filium, non perit, ſed habet vitam æternam* —— Sed contra primo. Scriptura dicit; *Qui credit in Filium*, ideſt, in Jeſum Chriſtum, non perit: ſed non dicit, qui credit, ſibi remiſſa eſſe peccata. Quod ſi dicant, idem eſſe credere in Chriſtum, ac credere, ſibi remiſſa eſſe peccata. Contra. Nam hoc ipſi dicunt, ſed hoc non dicit Chriſtus, qui potius dicit: credere in Filium eſſe credere Incarnationem, ſeu credere, quod Pater miſerit illum. Unde S. Joann. 1. *c.* 5. *v.* 1. explicans, quid ſit credere in Filium, dicit: *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus* (non dicit, quoniam per Jeſum ſibi remiſſa ſunt peccata) *ex Deo natus eſt*, ideſt, juſtificatus eſt. —— Addo: quod hæc propoſitio: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, facit ſenſum conditio-

ditionatum, ideſt, *ſi credit*, habet juſtificationem, & vitam æternam; ergo concluſio abſoluta, quam ipſi inferunt: *Ego credo in Filium*, non eſt ex Verbo Dei, ſed ab ipſis male illata. Quia ex antecedente conditionato: *Si credis, juſtificatur*, male infertur; *ergo credit*.

XXVI. Altera ratio eſt. Fides juſtificans debet præcedere juſtificationem; eſt enim, juxta ipſos, quaſi manus apprehendens juſtitiam Chriſti, & faciens noſtram: at fides de eo, quod ſibi remiſſa ſint peccata, ſupponit juſtificationem, quomodo enim vera fides eſt, qua credo, mihi eſſe remiſſa peccata, ſi nondum mihi ſunt remiſſa? Ergo hæc non eſt fides apprehendens juſtitiam, ſicut manus non apprehendit pecuniam ab altero, quam jam habeo in crumena.

XXVII. Tertia ratio eſt. Fides ſpecialis de eo, quod mihi remiſſa ſint peccata, tollit e medio orationes, opera bona, & alia media, quæ Deus inſtituit ad ſalutem noſtram. Quomodo enim poſſum cum Publicano dicere; *Deus propitius eſto mihi peccatori*, aut cum Eccleſia: *Dimitte nobis debita noſtra*, ſi eredo, & credere teneor mihi Deum remiſiſſe peccata? Certe hoc eſſet hæſitare in fide, & Deum quaſi mendacii, & infidelitatis arguere.

D u b i u m III.

An Fides ſufficiat ad Juſtificationem?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. STatuto qualis debeat eſſe fides requiſita ad Juſtificationem, nunc videndum eſt: an ſola ipſa ſit cauſa, ſeu inſtrumentum, quo juſtificamur. Hæretici omnes, de quibus ſupra, communiter dicunt, ſola fide juſtificationem acquiri: ſicut enim pauper manu apprehendit eleemoſynam: ita peccator fide apprehendit juſtitiam Chriſti, qua indutus coram Deo Juſtus apparet: cæteros autem actus, quos facit, ſolum concomitanter ſe habere ad juſtificationem, non formaliter, & per ſe. Catholici vero omnes, præter fidem, alios actus enumerant, quibus peccator ad juſtificationem perducitur; nempe, timorem, ſpem, dilectionem, pœnitentiam, propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, novæ vitæ inchoandæ, & obſervantiæ mandatorum Dei. Cum his

II. Dico. Fides eſt quidem initium, radix, & fundamentum juſtificationis, non tamen ſola homines ad juſtitiam perducit: ſed alii actus non pure concomitanter, ſed formaliter, & per ſe requiruntur. Ita docet Concil. Trident. *Seſſ. 6. c. 6.* ubi docens modum, quo præparari debemus ad juſtificationem; ponit quidem fidem, tamquam initium; ſed plures alios actus enumerat, de quibus infra. Et *Canon. 9.* ait: *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari; itaut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi; anathema ſit.*

III. Probo primo. Nam Scriptura non ſoli fidei tribuit juſtificationem a peccatis, ſed aliis actibus; ergo &c. Ant. prob. Afferendo eoſdem textus, quos ad hunc finem adducit Tridentinum, citata *Seſſ. 6. cap. 6.* dicens: *De hac diſpoſitione ſcriptum eſt* Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit* (ecce fidem) Et Matth. *9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* (ecce ſpem, & fiduciam) & Eccleſiaſtici 1. *Timor Domini expellit peccatum* (ecce timorem) Et Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti* (ecce pœnitentiam) Et Matth. ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis* (ecce Baptiſmi, & obſervantiæ mandatorum propoſitum) *denique præparate corda veſtra Domino.*

IV. Secundo. S. Jacobus ſua *Epiſt. c. 2.* expreſſe negat, ſolam fidem ad juſtificandum ſufficere: *Quid proderit* (inquit verſ. 14.) *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſalvare eum?* & ſubdit v. 24. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum?* Poſuerat autem exemplum in Abraham, cujus fides reputata fuit ad juſtitiam: quia fidei conjungebat voluntatem operis, nempe, ſacrificandi Iſaac filium ſuum ſuper Altare: unde ait, v. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt?* Tandem concludit verſ. 26. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Adeo premit Adverſarios hoc teſtimonium, ut maxime Lutherus coactus ſit dicere, Epiſtolam illam non eſſe Canonicam. Sed judicium de libris Canonicis ad ipſos non pertinet, ſed ad Eccleſiam, quæ in Concilio Tridentin. *Seſſ. 4.* illam inter libros Canonicos recenſuit. Hoc recolant Adverſarii, illam Epiſtolam fuiſſe ſcriptam contra Simonem Magum, alioſque hæreticos, qui temporibus Apoſtolorum dicebant, fidem ſolam ſine operibus juſtificare.

V. Nihilominus, ne inopes videamur, præſtat audire S. Joannem, qui Epiſt. 1. cap. 3. v. 14. *Nos* (inquit) *ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Quibus conſonat Paulus *ad Galat. 5. v. 6.* dicens: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Fides autem, quæ per dilectionem operatur, non eſt ſola, ſed fides charitati conjuncta, ergo fides, quæ valet ad juſtificandum coram Deo, non eſt fides ſola, ſed fides conjuncta cum actibus voluntatis.

VI. Probat congrua ratione D. Th. hac *q. 113. art. 5.* ubi quærens: an ad juſtificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccatum; affirmative reſpondet hac ratione. Juſtificatio fit ad modum cujuſdam motus, in quo homo recedit a peccato, & accedit ad juſtitiam, ergo, ſicut peccando, voluntarie a juſtitia ad peccatum acceſſit: ita ut a peccato ad juſtitiam iterum ſe convertat, oportet, ut in eo ſit voluntarius receſſus a peccato, & acceſſus ad juſtitiam: ſed *receſſus, & acceſſus in motu liberi arbitrii accipitur ſecundum deteſtationem & deſiderium . . . oportet igitur, quod in juſtificatione impii ſit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per deſiderium tendat in Dei juſtitiam; & alius, qui deteſtetur peccatum.* Hæc S. Thom.

§. II.

Acatholicorum Fundamenta.

VII. OBjiciunt primo varios Sacræ Scripturæ textus, quibus juſtificatio videtur tribui fidei. Actorum 13. v. 30. *In hoc omnis, qui credit juſtificatur.* Roman. 3. v. 28. *Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Cap. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Cap. 5. v. 1. *Juſtificati ergo ex fide.* Galat. 3. v. 8. *Ex fide juſtificat gentes Deus.* Et alia ſimilia, quibus inflatus Lutherus, teſte Roffenſi *art. 36.* ait: *Figmenta ſunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii ad gratiam tot libris tractata ſunt.*

VIII. Reſpondetur tamen hæc cum Tridentino *Seſſ. 6. cap. 8.* Quod *cum Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem . . . . ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit; ut ſcilicet, per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt, placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Quam expoſitionem olim tradiderat S. Auguſt. *l. de Prædeſt. SS. cap. 7.* dicens: *Ex fide autem ideo dicit* (Paulus) *juſtificari hominem, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur.* Unde inferius fidem vocat ædificii ſpiritualis *fundamentum.*

IX. Reſponderi ſecundo poteſt, S. Paulum non loqui de ſola fide, ſed de fide operante per charitatem: quæ certe cum includat etiam gratiam, ſupponit hominem juſtificatum: non vero de fide a charitate ſejuncta, cum idem Apoſtolus 1. *Cor. 13. v. 2.* dicat: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

X. Dices. Scriptura dicit, nos juſtificari gratis, & ſine operibus, Roman. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem . . . Non ex operibus &c.* atqui ſi noſtris actibus poneremus diſpoſitiones ad juſtificationem, jam non juſtificaremur gratis, ſed ex operibus; ergo &c.

XI. Reſpondit jam Concilium Trident. *Seſſ. 6. c. 8.* his verbis: *Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur: ſi enim gratia eſt, jam non ex operibus, alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.* Quod enim poſitis actibus diſponentibus ad gratiam, Deus det gratiam, non eſt ex debito juſtitiæ; ſed eſt novum beneficium fundatum in promiſſione divina, qua dixit, Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me . . . & convertar ad vos.* Et Ezech. 18. v. 12. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam . . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor &c.*

Reſponderi poteſt ſecundo; Paulum excludere ibi opera facta ex lege, qualia erant cæremonialia veteris legis; unde dicit ibi *ſine operibus legis*: non autem actus, quos homo Spiritu Sancto movente cor per fidem, ſpem, timorem, deteſtatur peccata ſua: his enim eſto non mereatur gratiam, ad eam ſe præparat, & diſponit. Sicut enim juſtificatio, etſi ſit ex fide, eſt gratuita; quia & ipſa fides gratis datur, ſicut juſtitiæ quædam inchoatio: unde Apoſtolus, ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim* (inquit) *eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur:* ita etſi fiat ex aliis actibus fidem ſubſequentibus, adhuc erit gratuita, quia Dei dona ſunt, ſicut & ipſa gratia.

XII. Objiciunt ſecundo. Opera facta ab homine ante juſtificationem ſunt facta ab homine adhuc peccatore, adhuc ſervo peccati, fructus arboris malæ, & conſequenter ſunt opera mala, & peccata: *Arbor enim mala non poteſt fructus bonos facere;* ut dicitur *Matth. 7. v. 18.*

XIII. Reſpondeo, neg. ant. Eſto enim homo ante juſtificationem ſit adhuc in ſtatu peccati; dum tamen ex motione Spiritus Sancti concipit actus fidei, ſpei, & timoris, jam non agit ut peccator, aut ex affectu ad peccatum, ſed potius ex affectu, ſaltem inchoato, & imperfecto ad juſtitiam. Unde Tridentinum Seſſ. 6. Can. 7. *Si quis* (inquit) *dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacumque ratione facta ſunt, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema ſit.* Licet enim in eo fides non ſit adhuc perfecte viva, quia nondum charitate formata: non tamen eſt prorſus informis, mortua, & otioſa, ſed operoſa; utpote movens ad opera timoris ſalutaris, & excitans ſpei, pœnitentiæ, & dilectionis actus, quibus viam ad juſtitiam parat, Unde fides illa videtur, dici poſſe viva, vita tamen quadam inchoata, & imperfecta; ſecundum quam ſpiritualiter vivere dici poteſt,

qui

qui ex motione Spiritus Sancti ad pœnitentiam, & novæ vitæ propoſitum excitatur, ac evigilat. Quapropter *articulus 64.* Baii, qui dicebat: *Illa diſtinctio duplicis vivificationis: alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur: alterius, qua vivificatur, qui vere juſtificatur, & palmes vivus in vite Chriſti efficitur, commentitia judicatur, & Scripturis minime congruens*: a S. Pio V. & Gregorio XIII. condemnatus fuit. Hinc peccator eſt arbor mala: ſed dum per fidem excitantur in eo motus ſpei, timoris, dilectionis Dei fontis juſtitiæ, non operatur ex radice mala; ſed ex ſemine bono, quod jacit in cor ejus motio Sancti Spiritus, per quam poteſt actus aliquomodo vivos, & ſalutares, eſto non meritorios, elicere.

D u b i u m IV.

De cæteris Diſpoſitionibus ad Juſtificationem.

§. I.

De Timore.

I. COncilium Tridentinum *Seſſ. 6. c. 6.* ubi docet modum præparationis ad juſtificationem, poſt fidem ponit timorem, dicens: *Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur &c.* Quibus Concilium duo de timore divinæ juſtitiæ ſtatuit: unum, quo intelligamus, nos eſſe peccatores: alterum, quo divinæ juſtitiæ timore utiliter concutiamur. Primum nullam difficultatem habet: ſoli namque peccatores, dum ſe tales eſſe cognoſcunt, debent Dei juſtitiam vindicem pertimeſcere. Alterum Lutherus, ut conſtat ex Bulla Leonis X. negavit, aſſerens timorem, quo quis Deum vindicem timet, eſſe peccatum, & peccatores pejores facere. Contra quem Trident. *Seſſ. 6. Canon. 8.* ſtatuit dicens: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere: anathema ſit.* De hoc fuſe agemus in Tract. de Pœnitentia. Nunc breviter.

II. Dico. Timor Dei vindicis, quo peccator, omni voluntate peccandi depoſita, ad divinam miſericordiam confugit, ſalutaris eſt. Eum enim Viri Sancti peccatoribus, ut a peccatis abſtinerent, propoſuerunt. Ut Moyſes, *Deuteron. 30. v. 17.* qui filios Iſrael ad pœnitentiam provocat, aperiendo eis variis plagas, quibus Deus criminum vindex eorum peccata ulciſci debebat, ni reſipiſcerent. Sic *Nathan 2. Reg. 12.* comminatione ingentium calamitatum Davidem hortatur ad pœnitentiam. Sic S. Joann. Baptiſta Saducæos, & Phariſæos venientes ad Baptiſmum ſuum compellebat, Lucæ 3. v. 7. &c. *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis, fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ . . . Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Sic tandem Chriſtus ipſe, Lucæ 12. v. 5. *Oſtendam* (inquit) *vobis, quem timeatis: timete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Et cap. 13. v. 3. & 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.*

III. Eamdem veritatem docuerunt quovis tempore Patres referendi in Tract. de Pœnitent. Advertendum tamen eſt: timorem pœnæ eſſe poſſe mere ſervilem, & ſerviliter operantem; quatenus facit cavere peccatum, ob metum pœnæ, quæ ſi non eſſet, peccatum non caveretur. Poſſe inſuper eſſe ſervilem, ſed non ſerviliter operantem: quia etſi metu pœnæ excitetur, depoſita tamen omni voluntate peccandi, facit peccatorem confugere ad miſericordiam Dei, ut ipſum ad juſtitiam perducat, qua reconcilietur cum ipſo. Primus timor, qualis eſt timor latronis, qui ceſſat a furto timore ſuſpendii, paratus tamen furari, ſi non eſſet pœna ſuſpendii, laudabilis non eſt; & rejicitur ab Auguſtino lib. de Spiritu, & litt. c. 32. *Cum aliud habeat in voluntate, qua mallet, ſi fieri poſſe, licere quod non licet.* Secundus vero utilis eſt, ac laudabilis; utpote deponere faciens omnem voluntatem peccandi, & ſenſim ad juſtitiam manuducens. Eumque Auguſtinus non rejicit citato loco *cap. 29.* dicens: *Sub quo timore anima laborans, quando concupiſcentiam malam non vicerit, nec timor ille quaſi cuſtos ſeverus abſceſſerit, per fidem confugiat ad miſericordiam Dei, ut det quod jubet; atque inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat, quod impedit.* Hunc ergo timorem inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſet, *Seſſ. 6. cap. 6.* Tridentinum, dum ait: *A divinæ juſtitiæ timore, ad conſiderandum Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur.* Et *Seſſ. 14. cap. 4.* eum pronunciat bonum, ac laudabilem: *Si voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ:* declaratque, *eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam ſibi ad juſtitiam parat.*

§. II.

De Spe Veniæ, & inchoata Dei Dilectione.

IV. PŒnitens ergo timore concuſſus ad divinam miſericordiam conſiderandam ſe convertens, in ſpem erigitur, ait Trident. *Seſſ. 6. cap. 6.* ſæpe citato. Quibus excitatur quæſitum: an inter diſpoſitiones ad juſtificationem ſit recenſenda *ſpes veniæ.*

V. Dico. Spes veniæ inter diſpoſitiones ad juſtificationem recenſenda eſt. Hanc indicat Tridentinum citatum, his verbis: fidentes, *Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Et merito: nam Peccator non aliunde ſperare, & confidere debet ſuam cum Deo reconciliationem, niſi per Chriſtum. Etenim *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris* (1. Joan. 2. v. 1. & 2.) Hoc idem probant omnia teſtimonia, quæ pro ſua fiducia adſtruenda adducunt Sectarii: quamvis illi eiſdem abutantur, ponentes, fiduciam eſſe cauſam immediate apprehendentem juſtitiam; nos autem ponamus eam, tamquam diſpoſitionem adhuc remotam. Idem confirmat illud Pſ. 36. verſ. 40. *Eruet eos a peccatoribus, & ſalvabit eos, qui ſperaverunt in eo.* Illud Pauli Rom. 8. v. 24. *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Unde Chriſtus ſæpe ad ſpem, & fiduciam peccatores hortabatur. Quamvis autem objectum ſpei alia multa comprehendat: tamen in negotio juſtificationis ſolum reſpicit ſpes veniam peccatorum, & gratiam reconciliationis per merita Chriſti obtinendam.

VI. Si quæras: An ſpes veniæ ſit ſimpliciter neceſſaria ad juſtificationem?

Reſpondeo affirmative. Quamvis enim forte poſſit aliquis ad juſtitiam ſe diſponere ſine timore pœnæ, cum ſolo timore filiali, & perfecto; ut in Magdalena contigit, & aliis, qui fervore charitatis juſtitiam adepti ſunt: ſine ſpe tamen veniæ obtinendæ per Chriſtum, & fiducia in ipſum, nemini juſtitia conceditur: quia *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, ut dictum eſt. Et (ut ait Petrus Act. 4. v. 12.) *non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat, nos ſalvos fieri.* Quare ſicut nemo habere poteſt juſtitiam ſine fide in Chriſtum; ita nec ſine ſpe eamdem a Deo obtinendi per Chriſtum. Ad quod reſpiciens Tridentinum, eodem modo neceſſariam ad juſtifidationem ſtatuit ſpem, ac fidem, & charitatem, *Seſſ. 6. Can. 3. & Seſſ. 14. c. 4.* contritionem, quam quovis tempore dicit, fuiſſe neceſſariam ad impetrandam veniam peccatorum, docet, includere fiduciam divinæ miſericordiæ, quæ fiducia, ex dictis, eſt actus ſpei.

§. III.

De Dilectione Dei.

VII. POſt ſpem Conc. Trident. *Seſſ. 6. cap. 6.* ponit dilectionem Dei, dicens: *illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Cumque dilectio Dei ſit duplex: alia amicitiæ, ſeu benevolentiæ, qua diligitur Deus, quia bonus; alia concupiſcentiæ, qua diligitur, quia bonus nobis; quæritur, quænam dilectio ſit diſpoſitio neceſſaria ad juſtificationem.

VIII. Dico. Si loquamur de juſtificatione obtinenda extra Sacramentum, requiritur dilectio Dei amicitiæ, ſeu benevolentiæ: ſi vero loquamur de juſtificatione obtinenda per Sacramentum ſive Baptiſmi, ſive Pœnitentiæ, probabilius eſt, ſufficere dilectionem Dei, quæ ſit concupiſcentiæ. Prima pars probatur. Nam contritionem, quæ hominem Deo reconciliat extra Sacramentum, Tridentin. *Seſſ. 14. c. 4.* vocat *contritionem charitate perfectam*: hæc autem amorem amicitiæ erga Deum, quia in ſe bonum, includit. Tum etiam: quia contritio, & amor Dei requiritur ad reconciliationem extra Sacramentum, quæ ad eam quovis tempore fuit neceſſaria, etiam quando Sacramenta gratiam non conferebant: ſed contritio, quæ omni tempore fuit neceſſaria, eſt contritio charitate perfecta includens amorem amicitiæ; hac enim, & non alia via in lege veteri, quando Sacramenta conferendæ gratiæ nullam vim habebant, poterant homines juſtificari; ergo hac ſola juſtificari poſſunt etiam nunc, qui extra Sacramentum actu ſuſceptum juſtificantur.

IX. Secunda vero pars probanda relinquitur in Tractatu de Pœnitentia: ubi oſtendetur, probabilius eſſe, ad obtinendam juſtificationem per Sacramentum Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, ſufficere contritionem imperfectam, ſeu attritionem; quæ non includit amorem charitatis, & amicitiæ, ſed ſolum amorem concupiſcentiæ. Unde quia Concilium laudata *Seſſ. 6. c. 6.* loquitur de diſpoſitionibus ad obtinendam gratiam juſtificationis per Baptiſmum, conſulto dicit, Deum, *tamquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt*, ideſt, Deum ut fontem, ex quo omnis juſtitia in nos emanat: quod eſt diligere Deum, ut bonum nobis, nondum vero ut bonum in ſe. Sed de hoc plura, ſi Deus dederit, loco citato.

§. IV.

De Odio, ac Deteſtatione Peccati.

X. POſtquam peccatores ad juſtitiam ſe diſponentes cœperunt diligere Deum omnis juſtitiæ fontem; pergit Concilium citata *Seſſ. 6. cap. 6.* dicens: *Ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, ac deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* Et hoc aſſerit contra Lutherum ajentem, pœnitentiam nihil eſſe, quam novam vitam. Contra quem etiam, *Seſſ. 14. c. 4.* ait: *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, juxta illud* (Ezech. 18.) Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum. *Et certe qui illos Sanctorum clamores conſideravit* (Pſalm. 50.) Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci (Pſalm. 6.) Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, cogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ: *Et alios hujuſmodi generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe.* Hæc Triden.

XI.

XI. Loquitur autem de pœnitentia, quæ neceſſario præcedere debeat juſtificationem, ordinarie loquendo; non vero de illa, quæ in caſu extraordinario contingeret: ut ſi quis rapiatur ad martyrium, & memoriæ ipſi non occurrunt peccata; tunc ſola expreſſa dilectione Dei cum ſola virtuali contritione, & pœnitentia juſtificabitur: cum Deus diligentes ſe diligat, immo nullus vera charitate diligere Deum poſſit, niſi prius diligatur a Deo.

§. V.

De Propoſito ſuſcipiendi Baptiſmum, vel Pœnitentiæ Sacramentum, Vitæ Emendandæ, & Obſervantiæ Præceptorum.

XII. CONcludit Tridentinum, dicta *Seſſ. 6. c. 6.* ſic: *Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* Hoc certum eſſe dico. Requiri enim, ut Infidelis diſponatur ad juſtificationem, propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum, conſtat ex dicto Petri, *Act. 2. v. 48.* ubi prædicatione ejus multi compuncti corde cum dicerent Apoſtolis: *Quid faciemus, viri fratres?* Reſpondit Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Et accipietis donum Spiritus Sancti.*

XIII. Requiri etiam in baptizato propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, docet Trident. *Seſſ. 14. c. 4.* dicens, quod etſi contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſcipiatur: *Ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Et merito: id enim eſt reſpectu peccatoris baptizandi Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt reſpectu baptizati Sacramentum Baptiſmi: ſed in Infidelibus neceſſarium eſt propoſitum Baptiſmi, ut juſtificentur; ergo &c.

XIV. Requiri quoque propoſitum vitæ emendandæ, & præcepta Dei obſervandi, colligitur ex illo Ezechiel. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam: vita vivet, & non morietur.* Quæ verba ſignificant propoſitum efficax emendandæ vitæ, & ſervandi præcepta, ad juſtitiam tum acquirendam, tum ſervandam. Hoc autem propoſitum non debet ſemper eſſe expreſſum; ſed aliquando ſufficit, ut ſit virtuale, & implicitum: ut dum quis actu amoris Dei ſuper omnia formaliter, & proxime ad juſtificationem diſponitur: in eo enim actu virtualiter continetur propoſitum ſuſcipiendi Sacramentum, emendandi vitam, & præcepta Dei ſervandi, ut ſuo loco diximus.

§. VI.

De Ultima Diſpoſitione ad Juſtificationem, a quo Principio ſit.

XV. MAgno ſtudio, & contentione volunt hic aliqui, etiam ex noſtris, ultimam diſpoſitionem ad gratiam, quæ in eodem inſtanti & ſimul cum gratia, præcedere quidem gratiam in genere cauſæ materialis; ſed procedere a gratia habituali, eamque ſequi in genere cauſæ efficientis. Verum quia hæc opinio non paucis ſcatet difficultatibus, quibus implicari, cenſeo non expedire: ideo cum aliis

XVI. Dico. Probabilius videri, ultimam diſpoſitionem ad gratiam juſtificantem non eſſe efficienter ab ipſa gratia, ſed ab auxilio ſupernaturali. Huic favere videtur Concilium Trident. *Seſſ. 6.* ubi cum *cap. 5. & 6.* omnes diſpoſitiones ad juſtificationis gratiam requiſitas recenſuiſſet; ſic inchoat caput 7. *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, juſtificatio ipſa conſequitur.* Igitur ſignificat, infuſionem habitualis gratiæ eſſe poſteriorem reali exiſtentia omnium diſpoſitionum. Favere videtur etiam S. Th. tum *1. p. q. 62. art. 2. ad 3.* ubi quærens, an Angelus indiguerit gratia, ut converteretur in Deum; triplicem diſtinguit converſionem in Deum. Una eſt *per dilectionem perfectam, quæ eſt creaturæ jam Deo fruentis: & ad hanc converſionem requiritur gratia conſummata. Alia converſio eſt, quæ eſt meritum beatitudinis; & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ eſt merendi principium. Tertia converſio eſt, per quam aliquis præparat ſe ad gratiam habendam: & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam convertentis, juxta illud Thren. ultimo: Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Loqui autem de præparatione ultima, patet: quia loquebatur de Angelis, in quibus, utpote juſtificatis in inſtanti creationis, nulla præparatio tempore præceſſit gratiam. Sentit ergo, ultimam diſpoſitionem ad gratiam habitualem eſſe a Deo movente, non ab ipſa gratia. Quod expreſſit etiam *1. 2. q. 109. art. 6. & q. 112. art. 2.* ubi docet, ad gratiam habitualem requiri præparationem, non ſimiliter ad gratiam actualem: ſi autem quod procedit efficienter a gratia, poſſet eſſe diſpoſitio ad illam, potuiſſet æque dicere, actum contritionis, etſi efficienter a gratia actuali procedentem, adhuc eſſe diſpoſitionem ad illam.

XVII. Sed clarius id oſtendit *q. 28. de Verit. art. 8.* ubi cum tale propoſuiſſet argumentum: *Contritio eſt actus meritorius: ſed actus meritorius non eſt niſi a gratia; ergo gratia eſt cauſa contritionis: ſed cauſa naturaliter præcedit effectum; ergo gratia infuſio naturaliter præcedit contritionem.* Cui non reſpondet, gratiam cauſam eſſe efficientem contritionis, ſeu hanc efficienter procedere a gratia habituali, ſed: *Ad primum, quod in contrarium objicitur, dicendum, quod contritio eſt a gratia, ſicut ab informante; & ita ſequitur, quod in ratione cauſæ formalis gratia ſit prior:* nimirum, quod contritio, ut meritoria, ſit contritio formata gratia.

XVII. Ex hoc conficitur prima ratio. Si enim contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad gratiam habitualem, procederet ab ea, ut principio efficiente; ſequeretur, quod eſſet meritoria de condigno remiſſionis peccatorum: procederet enim ab habitu gratiæ, & charitatis in homine viatore, & eſſet natura prior, quam peccatorum remiſſio; ergo nihil ei deeſſet ad meritum de condigno.

XIX. Et confirmo. Quia habitus gratiæ vel exiſtit in anima hominis pro illo priori, quo actus contritionis, vel dilectionis Dei ſuper omnia elicitur; vel non exiſtit, ſed poſtea infunditur: ſi primum; ergo homo eſt, vel ſaltem concipitur formaliter juſtus, ac juſtificatus, priuſquam eliciat tales actus contritionis, & charitatis; quia habet, vel concipitur habere in ſe cauſam formalem ſuæ juſtificationis; & ſic tales actus non ſunt diſpoſitiones, ſed effectus juſtificationis. Si vero ſecundum; ergo præfati actus non ſunt efficienter a gratia juſtificante: cum cauſa efficiens non poſſit cauſare, aut concipi cauſans, pro eo priori, quo vel non exiſtit, vel non concipitur exiſtens: exiſtentia enim eſt conditio indiſpenſabilis ad efficienter cauſandam.

XX. Nec dicas, hinc ſequi, hominem adultum prius diligere Deum perfecta dilectione, quam Deus ipſum diligat, contra illud 1. Joann. 4. v. 10. *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.*

XXI. Nam reſpondetur, neg. ſequelam. Nam actus ille dilectionis Dei ultimo diſpoſitivus ad gratiam juſtificantem, eſto procedens a gratia actuali, & ſupernaturali, non eſt tamen perfectus in genere ſupernaturali: quia elicitur a perſona, quæ in illo ſigno nondum cenſetur grata, nec habens habitum charitatis, qui eſt terminus completus dilectionis divinæ, & ponens hominem in ſtatu ſupernaturali ſimpliciter.

XXII. Collige ex dictis, ultimam diſpoſitionem ad gratiam non cauſare efficienter gratiam: hanc enim ſolus Deus ſicut & virtutem infuſam, in nobis, operatur ſine nobis efficientibus, eſto non ſine nobis conſentientibus; ſicut nec ultima diſpoſitio in naturalibus eſt cauſa efficiens formæ, ad quam diſponit, ut docet D. Th. *q. 28. de Verit. art. 8. ad 5.* Et multo magis in ſupernaturalibus, qui poſita ultima diſpoſitione, adhuc pendet a voluntate Dei gratiam juſtificantem infundere; & eſt novum beneficium prorſus diſtinctum a beneficio diſpoſitionis, quam etiam gratuito dedit.

§. VII.

An juſtificatio ſit maximum Opus Dei; & an Miraculoſum?

XXIII. REſpondeo ad primum quæſitum cum D. Th. *q. 113. art. 9.* quod aliquod opus dicitur maximum, vel ex parte modi, quo fit; vel ex parte magnitudinis ejus, quod fit. Primo modo *maximum opus eſt opus creationis, in quo ex nihilo fit aliquid.* Secundo modo *majus opus eſt juſtificatio impij, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio Cœli, & terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo Auguſtinus* (tract. 72. in Joann.) *cum dixiſſet, quod* majus eſt, quod ex impio fiat juſtus, quam creare Cælum, & terram, *ſubjungit:* Cælum & terra tranſibit; Prædeſtinatorum autem ſalus, & juſtificatio permanebit.

XXIV. Notandum inſuper eſt: quod magnitudo operis conſiderari poteſt, vel ex abſoluta quantitate rei quæ fit; & hoc modo glorificatio juſtorum majus opus eſt, quam juſtificatio impii: vel ſpectata proportione ad eum, cui, vel in quo illud opus fit; & juſtificatio impii majus Dei opus eſt, quam glorificatio juſtorum: *Quia plus excedit dignitatem impii, qui erat dignus pœna, quam donum gloriæ dignitatem juſti, qui ex hoc ipſo, quod juſtificatus eſt, eſt dignus gloria.* Quemadmodum abſolute major eſt mons parvus, quam milium magnum; ſpectata tamen proportione ad naturam milii, & montis, majus eſſet milium magnum, quam mons parvus. Et ideo Auguſtinus dicit ibidem: *Judicet, qui poteſt, utrum majus ſit, juſtos Angelos creare, quam impios juſtificare. Certe ſi æqualis eſt utrumque potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ.* Ita ex D. Th.

XXV. Ad ſecundum quæſitum reſpondeo cum eodem S. Doctore *q. 113.* citata *art. 10.* Quod ſi opus miraculoſum dicatur, quod a ſola divina virtute fieri poteſt: ſic juſtificatio dici poteſt in aliquo ſenſu miraculoſum opus, ſeu potius mirum. Si vero opus miraculoſum ſumatur pro eo, quod præter ſolitum, & communem ordinem cauſarum evenit; ſicut ſanitas reſtituta infirmo, præter ſolitum curſum ſanationis, quæ fit a natura, vel arte: ſic juſtificatio quandoque eſt miraculoſa, quandoque non. Si enim ſecundum communem curſum, Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum; primo quidem converſione imperfecta, ut poſtmodum ad perfectam deveniat, juſtificatio miraculoſa non eſt. Si vero tam vehementer Deus animam moveat, ut ſtatim quamdam perfectionem juſtitiæ aſſequatur; ſicut fuit in converſione Pauli, adhibita etiam exterius miraculoſa proſtratione: ſic juſtificatio erit miraculoſa: & ideo converſi Pauli tamquam miraculoſa ab Eccleſia celebratur. Ita ex D. Thom. Unde abſolute, & ſecundum quod ordinarie fit, juſtificatio non eſt opus miraculoſum. Nec refert, quod quædam opera minora ſint miraculoſa. Nam, ut ait D. Thomas relatus ad 1. *Quædam miraculoſa opera, etſi ſint minora, quam juſtificatio impii, quantum ad bonum, quod fit; ſunt tamen præter conſuetum ordinem talium effectuum: & ideo plus habent de ratione miraculi.* Quomodo etiam miraculoſum eſt, quod ſcientiam, quam homo proprio ingenio, & ſtudio natus eſt acquirere, a Deo infuſam accipiat, ut ait idem S. Doct. *ad 3.*

TRACTATUS OCTAVUS.
DE MERITO JUSTI.

INTER præcipuos gratiæ juſtificantis effectus ſunt bona Juſtorum opera; ad quæ elicienda per gratiam potentes fiunt: & per quæ digni evadunt, ut a Deo æternæ gloriæ præmium reportent. Æquum igitur eſt, ut poſt explicatam gratiæ habitualis naturam, ac ejuſdem prærogativas expoſitas; ejus quoque fecunditatem in merito, ſeu opere meritorio explanemus. Quod præſenti Tractatu præſtabimus; quærentes primo: quid, & quotuplex ſit meritum: an dari poſſit, & an detur in homine erga Deum; quid requiratur ad meritum: & tandem quid ſub merito hominis cadere poſſit.

QUÆSTIO I.

De eſſentia, diviſione & exiſtentia meriti.

QUid, & quotuplex ſit meritum breviter explicato; ejus exiſtentiam in homine juſto, etiam pro præſenti ſtatu, contra hæreticos noſtri temporis ſtatuemus.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit meritum.

§. I.

Eſſentia meriti.

I. MEritum, ſecundum D. Thomam 1. 2. *qu. 21. art. 3.* eſt proprietas actus humani, prout eſt moraliter bonus: ex eo enim, quod eſt moraliter bonus, habet rationem meriti; ſicut ab oppoſito, ex eo, quod ſit malus, habet rationem demeriti. Non quod eadem ſit ratio boni, quæ eſt meriti, aut ratio mali, quæ eſt demeriti, ſed quia ad actum humanum bonum ſequitur ratio meriti, & ad malum ratio demeriti. Quia omnis actus humanus, vel dirigitur in utilitatem Communitatis, vel ſingularis perſonæ; & ſic debetur ei, qui illum facit, aliqua retributio præmii: vel dirigitur in damnum Communitatis, & ſic debetur ei retributio pœnæ. Neque ad meritum, vel demeritum requiritur, quod actus ſit bonus, vel malus alteri, ſive Communitati, ſive particulari perſonæ; ſed ſufficit, ut ſit bonus, vel malus ipſi agenti: hoc enim ipſo eſt bonus, vel malus Communitati, cujus ipſe agens eſt pars. Sicut eo ipſo, quod bene, vel male fit digito hominis; vel eum ſanando, vel lædendo, bene, vel male fit toti corpori. Et per conſequens bono, vel malo facto in utilitatem vel damnum Communitatis, vel particularis perſonæ, vel etiam ipſiuſmet agentis, debetur a Rectore Communitatis præmium, vel pœna.

II. Hinc actus meritorius dici poteſt in genere: *Opus retributione dignum, quatenus aliquis dat de ſuo, ut accipiat de alieno.* Sicut qui laborat in vinea alterius, ut accipiat ſtatutam mercedem; dat aliquid de ſuo, nempe operam, & laborem, quem habet in ſua poteſtate, ut accipiat aliquid de alieno, nempe pecuniam, quæ eſt in poteſtate alterius. Ad præſens tamen inſtitutum deſcribi poteſt meritum, quod ſit: *Actus liber bonus in obſequium præmiantis elicitus.* Eſt enim differentia inter commutationem, & meritum, quod in commutatione, utpote ad juſtitiam commutativam ſpectante, ſervari debet omnimoda æqualitas: ut ſi quis centum dedit, centum etiam recipiat, ſive in eadem, ſive in æquivalenti ſpecie. Hoc autem non exigitur ad meritum: quia juſtitia diſtributiva, ad quam proprie ſpectat merito reddere præmium, non ſervat arithmeticam æqualitatem, ſed proportionem; ut juxta æſtimationem prudentum merito correſpondeat præmium, quod ſit aliquid excellentius merito: quia qui meretur, tendit ad aliquid ſupra ſe, ſuis tamen operibus correſpondens.

§. II.

Quotuplex ſit meritum.

III. DUplex communiter diſtingui ſolet meritum: unum de condigno, alterum de congruo. Meritum de condigno illud eſt, quod habet condignitatem ad præmium; ita ut, penſatis omnibus, jure debeatur tali operi tale præmium; quamvis illa dignitas operis proveniat ex gratia perſonæ merenti collata. Et hoc eſt meritum, quod communiter intelligi ſolet, dum agitur de merito hominis juſti; cui, ut videbimus, debetur quidem præmium, ſed non de toto rigore juſtitiæ: quo meritum hominis diſtinguitur a merito Chriſti, quod ex ſe, & ex dignitate perſonæ tale opus eſt, ut ei ſecundum perfectum juſtitiæ rigorem debeatur præmium.

IV. Meritum autem de congruo eſt illud, quod licet non habeat condignitatem, nec inferat jus, aut debitum ad præmium; nihilominus quædam decentia, & congruitas eſt, ut ille, qui poteſt reddere præmium, illud pro tali opere confert. Exemplum utriuſque afferri poteſt in milite, qui optime ſe geſſit in prælio. Hic enim duplex habet meritum: unum de condigno, nempe, ad ſtipendium ſtrenue militantibus ſtatutum; alterum vero de congruo, ut ſcilicet a Rege, vel Principe, præter ordinarium ſtipendium, ipſi conferatur aliquod donum, vel dignitatis, aut nobilitatis prærogativa. Licet enim hoc titulo juſtitiæ non debeatur; congruum tamen eſt, ut Rex, vel Princeps erga ſtrenuos milites ita ſe gerat.

V. Hinc apparet differentia inter utrumque meritum. Quod meritum de condigno vere, & ſimpliciter eſt meritum, & innititur juſtitiæ; adeo ut ſic merenti, debitum ſit ex juſtitia præmium. Meritum autem de congruo ſolum eſt improprie meritum, utpote non habens æqualitatem ad præmium; nec innititur juſtitiæ, ſed potius liberalitati, & decentiæ: adeo ut cui hoc tantum meritum ineſt, non teneatur Deus quidquam rependere, quaſi futurus in eum injuſtus, ſi non rependeret: ſed ſolum, quod ſic congruat divinæ bonitati, ei aliquid conferre, non tamquam præmium, aut coronam, ſed ex quadam decentia gratitudinis, liberalitatis, vel etiam fidelitatis. Hinc etiam ſequitur, quod meritum de congruo non requirat eam, tum perſonæ, tum operis dignitatem, quam requirit meritum de condigno: debet tamen eſſe opus bonum ejuſdem ordinis cum ea re, ad quam ordinatur, ideſt ſupernaturale, ſi ordinatur ad conſecutionem boni ſupernaturalis. Unde opus bonum ordinis naturalis, nec de congruo mereri poteſt donum vel minimum ordinis ſupernaturalis. Et inſuper debet fieri in officium, aut obſequium gratum, vel utile illi, apud quem eſt meritum.

VI. Præterea meritum de congruo duplex eſſe poteſt. Aliud ſe tenens ex parte merentis: quatenus in merente eſt quædam decentia movens largitorem, ut ſuam exerceat liberalitatem. Sic oratio Juſti meretur bona ſupernaturalia proximo: quia condecens eſt, ut, ſicut Juſtus facit voluntatem Dei; ita & Deus exaudiat voluntatem Juſti in utilitatem proximi. Aliud eſt meritum de congruo, tenens ſe tantum ex parte operis ſervantis quamdam proportionem, per modum diſpoſitionis: decens enim eſt, quod Deus, ubi invenit diſpoſitionem, adjiciat perfectionem. Sic peccator eliciens actum fidei dicitur mereri de congruo augmentum fidei; decentia tamen ſe tenente ex parte Dei, non ex parte hominis. Quod indicavit S. Auguſtin. *Epiſt. 106.* modo *186. cap. 3.* dum ait: *Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus; imo vero gratiſſime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qui impetrant charitatem.*

Ejuſmodi meritum, aliis verbis, vocatur meritum impetrationis. In quo ſenſu Sanct. Thomas 2. 2. *qu. 83. art. 16.* docet, orationem peccatoris eſſe aliquando impetratoriam. Verum eſt enim (ait ibi art. 15. ad 1.) *Oratio ſine gratia gratum faciente meritoria non eſt, ſicut nec aliquis actus virtuoſus. Et tamen etiam oratio, quæ impetrat gratiam facientem, procedit ex aliqua gratia, quaſi ex gratuito dono; quia ipſum orare eſt aliquod donum Dei, ut Auguſtin. dicit in lib. de Perſeverantia cap.* 23. maxime quando petit neceſſaria ad ſalutem. Ut enim docet ibi ad 3. *Oratio innititur principaliter fidei, non quantum ad efficaciam movendi, quia ſic innititur principaliter charitati; ſed quantum ad efficaciam impetrandi: quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ, & miſericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit.* Impetrat enim oratio peccatoris, non *ex merito peccantis* (ſic enim oratio non implentis legem dicitur execrabilis, *Prov.* 28. & *Joan:* 9. peccatores Deus non exaudiat) *ſed interdum impetrat ex miſericordia Dei. Vel propter ſalutem ejus, qui orat, ſicut auditus eſt Publicanus, Lucæ* 18. *Vel etiam propter ſalutem aliorum, & gloriam Dei.* Ita S. Thom. eadem 2. 2. *qu. 178. art. 2. ad 1.*

DUBIUM II.

An homo Juſtus poſſit aliquid a Deo mereri de condigno.

§. I.

Catholica veritas contra Sectarios.

I. HOminem coram Deo mereri non poſſe de condigno, ſentiunt omnes noſtri temporis Sectarii: inter quos eminet Calvinus, qui lib. 3. Inſt. cap. 15. *Bonorum* (inquit) *operum laudem, non ut Sophiſtæ faciunt, inter Deum, & hominem partimur: ſed totam integram, & illibatam Domino ſalvamus. Tantum hoc homini aſſignamus, quod ea ipſa, quæ bona erant, ſua impuritate polluit, & contaminat: nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non ſit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in judicio, quæ in humanis operibus optima ſunt; ſuam in illis quidem juſtitiam agnoſcet, hominis vero dedecus, & probrum. Placent itaque Deo bona opera, nec ſuis auctoribus ſunt infructuoſa. Quid magis? Ampliſſima Dei beneficia remunerationis loco ſtatuit, non quia ita merentur; ſed quia divina benignitas hoc illis ex ſe ipſa præmium ſtatuit.* Hæc Calvinus: Qui Sectariorum error radices habet in alio, ſuperius, in Tractatu *de Gratia habituali*,